

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Inimicitia b  
cum fonte primo

Qui  
quamdiu tibi inimicus es, inimicum  
habes sermonem Dei. Esto tibi amicus et  
concordas cum ipso,  
sicque

non solum nichil perdidisti, sed et te  
ipsum qui perieras inuenisti.

Augustinus de uerbis Domini sermone I.

Quamdiu tu tibi inimicus es, inimicum  
habes sermonem Dei: esto tibi amicus, et  
concordas cum ipso.

*Non homicidium feceris:* audi, et  
concordasti. *Non furtum facias,* audi, et  
concordasti. *Non moechaberis:* audi, et  
concordasti. *Non falsum testimonium  
dicas:* audi, et concordasti. *Non  
concupiscas uxorem proximi tui:* audi, et  
concordasti. *Non concupiscas rem  
proximi tui (Exod. xx, 13, etc.):* audi, et  
concordasti. In his omnibus cum tuo isto  
adversario concordasti: et tibi quid  
perdidisti?

Non solum nihil perdidisti: sed et te  
ipsum, qui perieras, inuenisti.

Augustinus Hipponensis, *Sermones*, 109,  
3 (PL 38, col.637).